



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Dîtîqa (nouum) ḡadāta (testamentum)

Parisiis, 1584

Ad Christianissimvm Galliae Et Poloniae Regem Henricvm III.
Potentissimum & inuictissimum principem, Christianæ religionis vindicem
& assertorem vnicum, Gvidonis Fabricii Boderiani Peregrinarvm ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-39367

AD
CHRISTIANISSIMUM
GALLIAE ET POLONIAE
REGEM HENRICVM III. POTEN-
tissimum & inuictissimum principem, Christianæ religio-
nis vindicem & assertorem vnicum,

GVIDONIS FABRICII BODERIANI PERE-
GRINARVM LINGVARVM INTERPRETIS

DEDICATIO, Sive

De certis quibusdam signorum coniecturis, quæ vltimum Filij homi-
nis Aduentum sunt præcessura.



Ter humana infirmitas densissimis ignorantiae tenebris offusa, REX
CHRISTIANISIME, cōtemeritatis & impudentiae prorumpere
non debeat, vt in arcanum & sacratius Dei consilium irrumpat,
quò de fine seculorum certi quicquam affirmet & statuatur: cum iux-
ta grauissimum D. Augustini testimonium, is qui dixit, De die au-
tem illo & hora nemo scit, ne Angeli quidem caelorum, sed Pater
meus solus, omnes omnium Chronologiae, & Astrologiae professo-
rum rationes subduxerit, quippe quæ ad calculum reuocari nec pos-
sint nec debeant: Si quis tamen sedulo animù aduerterit ad ea quæ ipsamet Veritas vltimù
Filij hominis aduentum præcessura signa prænunciavit, credo equidem eum non nega-
turum, quin ea, vt plurimum, iam pridem atque adeo nostra tempestate apparuerint, ac
in dies magis ac magis conspiciantur & appareant. Quibus sanè à veterino grauique quo
conspimur somno excitari debemus, assiduisque vigilijs & precibus incumbere, vt qui
nesciamus neque diem, neque horam, quo Dominus noster ad iudicium venturus est.
Quamuis autem initio 24. Cap. Euangelij secundum Mathæum, vbi certa quæ-
dã indicia, & Aduentus sui vestigia non obscura designat, de futuro templi Hierosolymita-
ni excidio, quod non ita multò post sub Vespasiano Romanorum imperatore contigit,
verba faciat: nihilominus tamen vterius progreditur vaticinium eius, ac veluti fontes
digitum intendens, aliquot prodigia, quæ diem illum magnum & terribilem anteibunt,
nobis ob oculos ponit, & apertam in lucem detegit ac reuelat. Nam cum eiusmodi præ-
dictio, vt pleraque omnia sacræ paginæ oracula, ad amulsum reuoluitur, & theologiae exiti
debeant & expendi, certissimum est nihil prodigiosum & admirandum in selecta Dei
familia populoque Israël contigisse, quod verum & propheticum sensum, nec non præ-
dictæ & adumbratæ figuræ exitum clarissimum in populo Christiano & Euangelico diui-
næ promissionis herede, tandem aliquando non consequatur. Præterea cum omnia, te-
ste Apostolo, in figuris contigerint eis, quicquid præclarum vltimum locorum in Iudæa, ter-
ræque sancta vnquam accidit, in omnes orbis terræ partes, tanquam radij à centro emissi
propagari debet ac dilari. Similiter & ea vniuersa, quæ dicta factaue fuere in primo Ad-
uentu Christi inter Apostolorum Apostolicorumque virorum gregem exiguum, sensu
à ij

spiritali, in totum corpus eius mysticum, quod est Ecclesia, ad vnguem adimplend sunt. Quemadmodum enim Spiritus Sanctus, qui tum prophetarum oracula, tum certas firmasque Evangelij promissiones dictavit & reuelavit, verax est & æternus, ac veluti lineâ infinitâ trium temporum curricula vnico puncto comprehensa prophetis, in Æternitatis Horizonte demonstrat: Sic etiam ea quæ prædixit & prænunciavit, nec ac tempus definitum, nec certâ cuiusdam ætatis respectu veniunt intelligenda: quinimo reuolui ac repeti debent in omnes omnium seculorum generationes vsque ad finem & durationem mundi. Porro quemadmodum auctoritate Orthodoxæ fidei, & ratione ducte instructi & imbuti sumus, Spiritum Sanctum cum à Patre, tum à filio coniunctim procedere: sic veterum temporum legis Naturæ memoria replicanda est (quantum ex historici sacra possumus colligere) in omnes ætates Legis scriptæ, Mosi viro Dei pleno reuelatæ, necnon in omnes Evangelij à Christo IESV ΘΕΑΝΘΡΩΠΩ promulgatæ generationes, vt inde spiritalem & propheticum sensum tanquam à principio finem repetere valeamus, & in totam Ecclesiæ durationem, quandiu exul & extorris erit in hoc orbe habitabili, eam ipsum deducere & euoluere. Quæ quidem aliàs attingimus, quæque iam pridem ante nos quamplurimi tum ex veteribus, tum ex recentioribus sacra scripturæ interpretibus, tanquam è sublimi quadam specula perspexerant & indicauerant, non solum inter præfatos illos Hebræorum sapientes Mosi auditores, sed etiam inter Græcos & Latinos auctores, vt sunt ex Iudæis plerique omnes doctrinæ acroamaticæ, & ore tenus traditæ peritissimi patres, apud quos hoc habetur præaxiomate, *ההורה כנורה מראשית אדרת*. Lex iudicat à principio finem: Ex Græcis autem cum multi alij, tum potissimum Origenes, Ecclesiarum Orientis quondam magister, Basilus, Nazianzenus, Iohannes Damascenus, aliique quamplurimi: Ex Latinis denique beatus Hieronymus, Augustinus, Ambrosius, Hilarius, & Beda Venerabilis, quod ad antiquiores attinet: ex neotericis autem D. Bernardus, Rupertus, Cardinalis de Cusa, Abbas Ioachim, Iohannes Picus Mirandulæ Comes, Franciscus Georgius in opere de Harmonia mundi, Liber cui titulus est, Onus Ecclesiæ; Reuelationes Saunarola, Brigittæ, & aliquor aliorum vtriusque sexus: ne quid de Astrologis dicam, qui partim hac auctoritate ducti domus Eliæ innixi, bis mille annis *תתק"ח* Tohu, hoc est tempus quod à mundo condito vsque ad Abrahami ætatem profuxit: bis mille annis Lex, bis mille annis Messias: partim suarum Ephemeridum computationibus in hanc planè sententiam concordēs omnes pedibus & manibus descendere videntur. Constat præterea vt asseruit cum Dauide Petrus, mille annos coram Deo se habere vt dies hesternæ quæ præterijt, sexque creationis mundi dies tot durationis eius annorum millenarios prophetice significare. His ita constitutis deinceps is quæ prædixit Christus, qui nec falli nec fallere nouit, firmiter in hærendum est. Is ergo vaticinatus est in hæc verba, cum à quatuor Apostolis suis Petro, Andrea, Iacobo, & Iohanne, priuatim intertegeretur, quod erit signum Aduentus tui, & consummationis seculi? Respondit videte neque vos seducat: Multi siquidem venient in nomine meo, dicentes: Ego sum Christus, multi que seducent. Futurum est autem vt audiat bella, & rumores bellorum videte ne turbemini: oportet enim hæc omnia fieri, sed nondum erit finis. Insurgit enim gens in gentem, & regnum in regnum, & erunt fames, & pestilentiæ, & terra motu singulis locis. Hæc autem omnia, principia sunt dolorum. Tunc tradent vos oppressioni, & trucidabunt vos, & odio eritis omnibus gentibus propter nomen meum. Et tunc impingent multi, & alius alium proderit, & odio habebit alius alium: Et multi pseudoprophetæ surgent & seducent multos. Et quoniam multiplicata erit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Sed qui perseuerauerit vsque in finem, is seruabitur. Et prædicabi

& miracula, ita vt seducant (si fieri possit, etiam electos. Ecce prædixi vobis. Qua propter si dixerint vobis, Ecce in deserto est: ne egredimini; ecce in conclauius, ne credite. sicut enim fulgur exit ab Oriente, ita etiam erit aduentus Filij hominis. Vbiunque enim fuerit cadaver, illuc congregabuntur Aquilæ. Statim autem post oppressionem dierum illorum, Sol obscurabitur, nec dabit Luna splendorem suum & stellæ cadent de caelo & potestates caelorum commouebuntur. Tunc apparebit signum Filij hominis in caelo, & tunc omnes tribus terræ plangēt, & videbunt Filium hominis venientem in nubibus caeli cum potentia & gloria multa. Et quæ sequuntur.

Primum itaque prædixit Filius Dei, quàm plurimos in nomine suo venturos, qui dicturi sunt, Ego sum Christus, multosque seducent. Ecquis autem tam parum versatus est in Ecclesiastica historia, qui nesciat iam à temporibus Apostolorum, & infra permultos impostores extitisse, tam ex Iudæis, quàm ex Agarenis, atque adeò ex iis qui Euangelio sunt abusi, qui quidem non minus impudenter quàm impie ementitos Christi honores, noménque Messia sibi vendicarunt; cum iam initio nascentis Ecclesie ipsemet Apostolus & Euangelista Ioannes scripserit: Multi sunt Antichristi, & à nobis exierunt, sed non erant ex nobis: si enim ex nobis fuissent, vti que nobiscum permansissent. Idem alibi: Quisquis inquit, negat Christum venisse in carne, is est Antichristus, Quot autem elapsis retro seculis extiterunt, & quotidie apud nos passim inveniuntur, qui non solum denegant eum venisse in carne, sed etiam seipso pro Christo obtrudere aliisque id persuadere falso conati sunt: Simon ille Samaritanus Magiarum artium nomine infamis, Menander eius discipulus, mali enim malus coruus, Montanus pseudoparacletus, Manes Persa, mania & furoris æstro percitus, Theudas Iudæus seductor, Barcosibas mendacij filius, filiisque perditionis Muhamedes, alique quàm plurimi quorum in historijs tum Iudæorum, tum Christianorum creberrima sit mentio. Nostri vero seculi patrumque nostrorum memoria, in quo omnes omnium præteritarum ætatum hæreses veluti ex inferis excitatae, & euocate fuerunt, quot inuenti sunt tenebriones & lucifuge, qui numen noménque Christi sibi prædenter arrogare vel palam & aperte, vel subdola quadam fraude cuniculis agentes, Ephraïm conatu ausi sunt, vel aduentum Messia cum obstinata Iudæorum coluie in dubium reuocarunt: Ioachimus Abbas natione, Calaber, quem ferunt Spiritu prophætico donatum fuisse, iam ante quadringentos annos aut circiter prædixerat, propter peccata Antistitum & Principum, atque adeò omnium ordinum inferiorum (nam vt est in proverbio, Cum caput dolet, cætera membra dolent) Ecclesiam Catholicam tribus flagellis afflictum: primo quidem in rebus spiritualibus, altero in bonis secularibus, tertio denique in ipsismet suorum ministrorum corporibus. Cum enim ipsi abusi fuerint bonis illis, quæ à philosopho in triplici differentia ponuntur, animi scilicet, corporis, & fortunæ, mens illi præfigebat iustum iudicem Deum scelerumque omnium vindicem æquissimum, in emendationem eorum aliquando permittendum, vt tribus eiusmodi flagellis, tanquam triticum in area, excuterentur & agerentur. Nam quod ad primū attinet prænunciabat venturos quosdam hæreticos & pseudoprophetas, qui denuò omnes omnium antea eorum seculorum errores & blasphemias excitarent & instaurarent, adeò vt (si fieri posset) etiam electi in errorem inducerentur.

Prædicebat secundò maximam partem bonorum & diuitiarum, quas Principum magnificentia, & liberalitas illis affatim tribuerat, ab ipsidem ablatum iri, quoniam ex sunt spinæ, quæ bonum semen verbi Dei in cordium humanorum terra satum & insitum, frequenter suffocent: & ex quibus contexta est & complitata corona, quæ caput Christi in corpore mystico Ecclesie vehementer ungit & exultat. Tertio denique minabatur quod maxime

ontifices, præcipuosque ministros Ecclesiæ captiuos abduceret, non secus atque quoniam Salmanasar filios Israël in captiuitatem abduxit in Babyloniam, cuius vaticinio non dissimile est, quod olim Deus per os Moysis serui sui, prophetarum omnium coryphæi, Isaiæ 28. prædixit: Eò quòd non seruiers Domino Deo tuo in gaudio, cordisq; læticia, propter rerum omnium abundantiam, serui es inimico tuo, quem Deus immitteret, in me, & siti, & nuditate & omni penuria: is iugum ferreum imponet ceruici tuæ donec conterat; adducet super te gentem de extremis finibus terræ, cuius linguam non intelles, quæ nec rationem habeat senis, nec misereatur paruulorum, sed deuoret fruges terræ tuæ: ipsa eris in caput tu eris in caudam.

Quod ad primum spectat, puto neminem esse nunc temporis tam rudè & imperitum rû humanarum, qui inficias ire audeat, quin, cheu/nimis verax vates fuerit Abbas ille Machim, quem de libro vitæ legissè scripsit Mirandulanus Comes. Quæ enim quæso, hæses vnquam exstiterunt iam à temporibus nascentis Ecclesiæ, quæ nostra tempestate à facticiis & turbulentis quibusdam nebulonibus excitatæ, & quali interpolatæ non fuerint, ita quidem totam Europam, olim tertiam vniuersi Orbis partem longè præclarissimam, varias sectas, factiones, & dissidia fœdissimè lacerarunt: ita vt doctissimus Cardinalis sius literis consignare non erubuerit, se plures sexaginta diuersi dogmatis sectas in Europaspartas notauisse, quæ quidem omnes inter se dissident, in eoque tantum conueniunt, omnes omni ex parte vnicam Ecclesiæ columbam imperant & vellicent; ac veluti speculæ Samsonis caudis alligatæ, vineam Domini diruere ac demoliri nitantur & intendant. Quantum verò de secundo possumus conijcere, vtrum nunc principes & agnates in diuitias & dignitates Ecclesiæ inuolent, illis iudicandum relinquo, qui rem huius seculi sunt me multò peritiores. Quod autem ad tertium & vltimum attinet, vus Opt. Max. Pater longanimis, ac multæ misericordiæ, in hunc vsque diem infidelm & Turcarum nepharios conatus tanquam fræno retinuit & coërcuit: ita vt quamuis varias partes in Europâ impetû fecerint, nonnullasq; eius prouincias vltra Danubium is imperio suo adiecerint; illud tamen vltimum nondum factis exequi potuerunt. Faxit inna bonitas ne id vnquam exequantur, vt & hæc siue prophetia, siue prædictio connatoria potius, quàm adimplenda videatur. Quod quidem futurum spero, dumdo omnes & singuli mores suos emendare satagant, & ad meliorem frugem redire, & sibi & alijs exemplo prosint. Aliàs periculum est, ne quemadmodum duæ priores edictiones iam adimpletæ sunt, & quotidie adimplentur, vltima quoque tandem quando ad effectum perducatur. Nam qui priores duas dictauit Spiritus, quas reipsas esse comprobant & experiuntur multi, pariter quoque vltimam dictauit, & præntiauit. Neque tamen sum nescius, quin & promissiones & comminationes Dei perphetas eius Gentibus promulgatæ sub conditione veniant intelligendæ, cum ipse met erit: Si mandata in ea seruaueritis, bona terræ comederis. Et in Psalmis legimus;

נשבע יְהוָה לְדוֹד אִמְתָּ לֹא יִשׁוּב מִמֶּנָּה טַפְרִי בַטֶּנֶךְ אִשִּׁית לִכְסֵף לְךָ אִם יִשָּׁב
Id est: Iurauit
בְּנֶיךָ בְרִיתִי וְעֵדוּתִי וְזוֹ אֶלְמֶדֶם גַּם בְּנִיהֶם עָדִי עִי יִשָּׁבוּ לִכְסֵף
minus Dauidi veritatem, à qua non recedet, de fructu ventris tui imponam throno tibi. et uauerint filij tui fœdus meum, & testimoniũ illud meum quod docebo eos, etiam filij um in æternum vsque sedebunt in throno tuo. Quia delegit Dominus Sion, desiderat eam in habitationem sibi. De comminationibus autem eius nota est Niniuitarum toria, quos memorabili clade se delectarum vaticinio Ionæ minitabatur: sed quia poenitentiam in cilicio & cinere, fractis animalis, non simulatam, egerunt. Ideo executionem lata sententiæ benignitate ac philostorgia sua reuocauit. Nouit enim, inquit Ambrosius, Deus mutare sententiam, si tu uolueris mutare delictum. lam verò si cætera signa, quæ de vltimis temporibus vaticinatus est Christus, attentè

perpenderimus, bella scilicet plusquam civilia, & bellorum tumultus, gentis in aliam gentem insurgētis, & regni in regnum, fames & pestilentia vbiq̄ue teterrū grassantes, ac tetramotus singulis in locis, Ecquis ea omnia in dies magis ac magis non experitur? Annon tota ferē Europa internecinis bellis vbiq̄ue locorum ardet? Annon gentem aduersus aliam gentem & regnum in regnum insurrexisse hactenus vidimus, non solum pomœrij amplificandi causa, quod ferē semper & vbiq̄ue factitatum esse legimus, sed etiam propter dissidia religionis? Nam ex quo schisma illud à Luthero in Germania excitatum est, & ab alijs eiusdem factionis hominibus, quibus turbare omnia libet, quę non sunt excitatae tragœdię: qui bellorum tumultus non sunt auditi? vbi non concussa, & funditus quasi euerſa, tanquam vehementi oborta tempestate, miseranda non fuit Europa? Annon hodie Gothia, Noruegia, Dania, Suetia Moscouia, Polonia, Hibernia, Scotia, Anglia, latęque & ampla Germania cum superior, tum inferior ab vnitrate Apostolicę & Romanę Ecclesię scissa est? Annon Transilvania Valachia, Bosnia, Bulgaria, Hungaria, Thraciãque & Macedoniã ab Euangelio Christi ad nãnas Muhamedis defecerunt? Quid de Gallia dicam, quę semper hactenus dexterum Ecclesię brachium extitit, & quę temporibus Arriano- rum, vel D. Hieronymi testimonio, nec monstra, nec hęreses vnquam nouerat, annon hodie, pro secula, vt cętera aliz, monstris portentosis, hęresibus, & tanquã errorum letina opinionum dissidiis propter religionem vbiq̄ue scater? Quod si gens omnium antiquissima, eademque semper religioni addictissima, cuius Reges propter summa in Ecclesiã merita, Christianissimorum titulo nobilitati sunt, discordiarum mole nutat & labascit, quid de alijs sperandum est? Profecto nisi Clementissimus Deus ineffabili potentia sua tot quibus premixtis malis occurrat breui, nil nisi confusio, anarchia, & ineluctabile tandem excidium expectandum est. Quamuis enim Gallorum Reges potentissimi, Ecclesię Catholicę maiores natu filij, Pontifices Romanos ab infidelium principum tyrannide in libertatem vindicauerint, eosque saluos & incolumes conseruarint, vt de Martello, Pipino, Carolo tot præclaris gestis & victoriarum magnitudine Magnõ, narrant historię; licet eorum fama toto Oriente percrebruerit: licet apud Æthiopas, Abyssinos, populi omnes Occidui Francorum nomine nuncupentur, propter tot victorias & triumphos, quos aduersus Turcas toties reportarunt; nihilominus tamen extat prophetia quędam D. Brigittę quondam Regiņe Suetię, in hæc verba: Potens est Deus excitare Francos aduersus Ecclesiã, quę eam humiliabunt. Pręterea Abbas ille Calaber, cuius supra mentionem feci, in Commentarijs in Ieremiam Prophetam, literis prodidit, Germaniam & Galliam vicinas nationes eodem loco erga Ecclesiã Romanam habendas esse, atque olim Afsyria & Ægyptus erga Ecclesiã Israël habitę sunt. Quemadmodum enim Assur virga fuit furoris diuini ad populum Israëliticum castigandum, & emendandum, sic etiam futuram Germaniã, vt vitia sceleratę horrenda, quibus inficiuntur Ecclesiastici quam plurimi, corripiat & eluat: Porro sicuti Ecclesiã Iudeorum quotiescunq̄ue nationes vicinę insultabant ei, bellisque impetebant, ab Ægypto petebat suppetias; sic etiam Ecclesiã Romanam (quę proculdubid præcipua sedes est Apostolica, & congregationum omnium princeps, blatteret quantũ velint hęretici) quotiescunq̄ue ab alijs gentib⁹ premeretur, vbi res eius omnino esset accessit, ad auxiliũ Gallię, tanquã ad sacrã ancorã cõfugeret, sed vetẽdũ esse, ne Gallia, cui soli inniteretur, futura sit ei arũdinis vice, quę vel manũ ei⁹ perfoderet, vel turpiter eam sineret corrũere. Dij prohibete minas, Dij talẽ auertite casum, Et placidi seruate pios.

Restat inter prouincias, & clariora Europę regna vtraque Hesperia, Italia scilicet & Hispania, quę nondum quidem locum dederunt hęresi, & factioni Lutheranę; sed in altera Aristotelis & Auerrois placita dogmataque lubentius sepiissime audiuntur, quam Leges Moſis, aut Euangelium Christi. In altera verõ, quia non ita pridem, hoc est à trecentis annis aut paulõ pluribus; à pessima Matorum secta & impietate in Euangelij libertatem asserta est: ideo Inquisitionis suę sapimento, ceu quadam firmissima munitione scilicet

obuallauit, quo se sartam tectam conseruaret, ne tot errores, qui alibi vigent, quosque damnat & execratur Ecclesia, in ipsam irrumperent. Cætera verò totius Europæ insigniora loca, vt quæ ad ripas Danubij, & vltra sita sunt, Sultanus Turcarum, vt diximus, bellis attrita suo adiecit imperio, & nunc temporis impio & abominando Muhamedis Alcorano parent. Attamen ex quo pestis Arriana per orbem grassabatur, quæ diu multumque Catholicam Ecclesiam perturbauit & discerpit, sola Europa ex tribus terræ partibus tunc cognitis & exploratis, in Orthodoxa fide constanter permanferat, sanctæque Apostolicæ sedis paruerat, nec vnquam aduersus summos pontifices, Ecclesiæ pastores cristas erexerat: quamuis tota ferè Asia, & Africa (dempta ea parte interioris Æthiopiæ, quæ magni & potentissimi illius Principis, quem ipse Negus, nos Pæsto Ianum appellamus, imperata facit) letifero veneno, imposturisque Muhamedis, quæ sunt veluti fæces & reliquæ Arrianisimi, infecta sit & dementata, vel in cecitate & idolomania infidelium gentium remanserit, atque etiam nunc perduret. Vide, Rex Christianissime, quàm longè adhuc absimus ab ea omnium Gentium in Euangelium Christi vnione, quàmque debili & languida spe polliceri sibi debeant Christiani, omnes omnium terrarum populos in castra religionis nostræ cõcessuros, vt sit vnus pastor, & vnũ ouile. Hoc tamè nobis promissitiplamet Veritas, quæ seipsam denegare non potest, hoc pij omnes summis expectant votis, ad hoc Pontifices Maximi, quivices Christi in terris agunt, procurandum & promouendum totis neruis, totisque pro viribus obstringuntur. Ad hoc Reges & Principes Christiani, tuncque in primis, Regum omnium Maxime & Christianissime, vt maiorum vestigijs insistas, ex officio tenentis. Debent enim regnum eius per quem reges regnant, & potentes decernunt iustitiam, quàm latissimè possunt propagare.

Extant externæ quædam Prophetiæ & Reuelationes de vltimis temporibus, quæ totius præclari illius instituti procuracionem Regibus Galliæ demandare videntur, quarum nonnullas hic breuiter perstringendas duxi: sed primum omnium mihi visum est repetendum luculentissimum Abdiæ propheta testimonium, quod Epistola nuncupatoria ad Philippum Hispaniarum Regem Catholicum in magnis Biblijs Autuerpianis inserui: Illud ita se habet: וּגְלוֹת הַחַל הַזֶּה לְבְנֵי יִשְׂרָאֵל אֲשֶׁר כְּנַעֲנִים עַד צַרְפַּת וְגַלְתָּ יְרוּשָׁלַיִם אֲשֶׁר כִּסְפָרָד יִרְשׁוּ אֶת עַרְי הַנֶּגֶב וְעַל מוֹשִׁיעִים בְּהַר צִיּוֹן לְשֹׁפֵט אֶת הָרַעְשׁ וְהִתְהַלְּכָה לִיהוּהַ הַמְּלֹכָה Id est, Et transmigratio exercitus huius filiorum Israël, qui sunt Chananaei (1, mercimonis addicti) vsque in Zaphath (Galliam) & transmigratio Ierusalem, quæ est in Sepharad (Hispania) hereditabunt ciuitates Austri. & ascendent Saluatores in montem Sion ad iudicandum montem Esau, & erit Domino Regnũ. Quod Paraphrasis Chaldaica Ionathan sic reddidit: וּגְלוֹת עַמַּא הַדְּנֵי יִשְׂרָאֵל דְּבִאֲרַעָא כְּנַעֲנָי עַד צַרְפַּת וּגְלוֹת יְרוּשָׁלַם דְּכַאֲסַפְמִיא יַחֲסֻנּוּן יַת קְדוּי אַרְעָא דְּדִרּוּבָא וּיִסְקוּן מִשׁוּבֵין בְּטוּרָא דְּצִיּוֹן לְמַדְּן יַת כְּרַכָּא רַבָּא דְּעַשׂו וְתַתְּנִלִי מְלֻכּוּתָא דְּדִיּוּ בְּקִרְיָב עַל כָּל יַתְּבֵי אַרְעָא וְתַהֲוִי מְלֻכּוּתָא דְּדִיּוּ קִיס לְעָלַם וְלְעָלְמֵי עַלְמֵי־יָ: Et transmigratio populi huius filiorum Israël qui sunt in terra Chananeorum siue Mercatorum vsque ad Zaphath (Galliam) & transmigratio Ierusalem quæ est in Hispania, possidebunt ciuitates terræ Australis. Et ascendent Saluatores in montem Sion ad iudicandam arcem magnam Esau, ac reuelabitur regnum Domini in propinquo super omnibus terræ incolis: eritque regnum Domini permanens in seculum, & per seculorum secula. Nunc nunc ascendendum nobis est, Christianissime Rex, in montem Sion, nunc nunc sunt repetendæ Ierosolymæ, nunc Turcis bellum indicendum est, vt iudicetur mons Esau, id est, impiorum multitudo. Iamdiu transmigratio quæ est in Hispania, possidet ciuitates Austri. Regio Brasilia, America, & Pernana, aliaque prouinciæ Australes quàm plurimæ, Iberorum

Iberorum accreuerunt imperio. Superest vt ex Gallia repurgata prodeat exercitus, qui vexillum crucis Christi erigat, quique armata manu in arcem magnam Turcarum irruat, sepulchrum Christi gloriosum ab eorum tyrannide in libertatem asserat, & ablegatis ex tota Asia & Africa Muhamedis nugis, Sanctum Christi Euangelium vbique gentium prædicandum & promulgandum curet. D. Aurelius Augustinus in tractatu de Antichristo præclarum etiam de regno Galliarum vaticinium memorie prodidit, cuius hæc sunt verba, Inde ergo dicit Apostolus Paulus Antichristum in mundum non antea esse venturum, nisi venerit primùm discissio, hoc est, nisi discesserint omnia regna à Romano imperio: quæ prius subdita erant, hoc autem tempus nondum aduenit. Quia licet videamus Romanum imperium ex maxima parte destructum: tamen quandiu reges Francorum durauerint, qui Romanorum imperium tenere debent, Romani dignitas ex toto non peribit, quia in rebus suis stabit. Quidam verò doctores nostri dicunt, quòd vnus ex Regibus Francorum Romanum imperium in integrum tenebit, qui in nouissimo tempore & ipse erit maximus, & omnium Regum vltimus, qui postquam regnum suum feliciter gubernauerit, ad vltimum Ierosolymam veniet, & in monte Oliueti sceptrum & coronam suam deponet. Hic erit finis & consummatio Romanorum Christianorumque imperij. Hucusque Episcopus Hipponensis. Prætera in libro quodam Bemehobi Patarenorum Ecclesie Episcopi, & Martyris Christiani, quem de Hebræo & Græco in Latinum transfere curauit beatus Hieronymus, & quem in suis opusculis vehementer collaudauit, vbi de fine seculorum agit, Legimus in nouissimo sexto millenario seculi filios Ismaël de Eremo exituros, qui propter peccata Christianorum regna eorum vastabunt, multasque gentes cum in Asia, tum in Europa grauissimo oppriment seruitutis iugo. Ad consolationem autem fidelium in fine libri hæc subiecit. Tunc recordabitur Dominus Deus secundum suam misericordiam, quam promisit diligentibus se, eorum qui in Christo sunt credituri, & liberabit eos de manu Saracenorum. Surget autem de Gallia Christianorum gens, & præliabitur eum eis & occidet eos gladio, & captiuas ducet mulieres eorum, & infantes eorum interficient. Et descendet filij Ismaël in gladium, & tribulationem, & reddet illis Dominus mala, quæ ipsi alijs fecerunt, & irruet super eos malicia septies tantum, quantum in alijs gesserunt, & tradet illos Deus in manus Christianorum, & erit regnum Christianorum exaltatum super omnia regna & imponent Christiani iugum super eos graue, & erunt serui qui remanebunt. Hactenus antiqui illius episcopi verba. Sunt & alia externa vaticinia de regno regibusque Gallie, quæ nunc omittenda duxi, ne præfationis fines excederem. Verum enim verò ex alia parte sensim videmus id adimpleri quod postea subdit Christus, Et prædicabitur Euangelium regni per vniuersum Orbem, vt sit testimonio vniuersis Gentibus, & tunc veniet finis. Placuit enim diuinæ prouidentie abhinc centum annis aut circiter, vt plusquam media pars orbis terrarum, medijs è tenebris in lucem emerferit, cum auspicijs Regum Castilie & Lusitanie, tum Genui tutelari regum Gallie, nauigationibus autem Iacobi Carterij Normani, Christophori Columbi Genuensis, Vesputij Americi Florentini, & Magellani Lusitani, aliorum artis nauticæ peritorum industria, non alia profecto de causa, si quid conijcio, quam vt ibi prædicetur Euangelium, & vt ad cognitionem veritatis adducantur tot populi & nationes incultæ & barbæræ, quæ in altero Hemispherio dispersæ sunt, quæque vel nunquam de primo Aduentu filij Dei ad nos quicquam audierant, vel si auditione quippiam aliquando acceperant, multis posthac euolutis seculis oblitterata fuerat omnis eius memoria, & obliuionis gurgitibus obruta sepultaque. Hoc autem dico, eò quòd licet Psalter Regius sic scriptum reliquerit: **בכל הארץ** In omnem terram **exit** sonus (linea) eorum, & in finibus Orbis verba eorum. Quod D. Paulus 10. ad Romanos de prædicatione Apostolorum videtur interpretari, & de vocatione Gentium: dicit enim. Quomodo igitur inuocabant, in quem non crediderint? quomodo autem credent ei, de quo non audierint?

quomodo autem audient absq; predicatē? quomodo autem prædicabunt nisi missi fuerint, sicut scriptū est. Quam speciosi pedes euangelizantiū pacem, euangelizantiū bona! Sed non omnes auscultarunt Euangelio. Esaias enim dicit: Domine, quis credidit sermōi nostro? Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei. Sed (inquam ego) annon audierūt? Imò verò in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terrarū verba eorum. Id tamen doctores Hebræorum de symmetria, & cōcinnō regularique motu calorū exponunt, qui prouidentiam Dei admirabilem vbique gentiū prædicant, sicut initio psalmi cecinit vates: Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manū eius annuntiat firmamentū. Equidem Chaldaus paraphrastes sic interpretatus est: **בכל ארעא נפק מתח עוניהון ובמפייתבל** id est: in omnem terram exiuit extensio prospectus eorum, & in fines orbis verba eorum. Septuaginta verò, quos secutus est D. Paulus, videntur legisse pro **קום** linea eorum, **קולם** sonus eorū; sic enim reddiderunt, *εις παντα τω κοινω κηρυχθησιν αυτους*. In omnem terram exiuit sonus eorum. Sed vtraque expositio conuenit, prima quidem ad literam de commensuratione, & æquabili motu, atque adeo de harmonia calorū intelligi potest. Cū enim gentes quantumuis barbaræ calorū suspiciunt, ratōsque & constantes in omni quo eorum motus vident, coguntur agnoscere & fateri mentem quandam architectatricem quæ præsit eis, & eorum motus moderetur & gubernet. Altera verò ad sensum anagogicum referri debet, ita vt calorū appellatione mysticè significet Ecclesiam, Solis autem nomine Patrem luminum, Ecclesiæ Rectorem & collustratorem. Sicut enim in cælo sunt duodecim Signa, quæ quotidie Sol fons lucis vberissimus tum accedens tum recedens, splendore suo perfundit. Sic in Ecclesia sunt duodecim Apostoli, quos Sol iustitiæ Christus, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, radijs suis abundè collustrauit. Vt est in Cælo Luna, sic & in Ecclesia beatissima Virgo, vel vt secretiores Iudæi volunt **השכינה** siue gloria cohabitans, quæ lumen suum à Deo mutuatur. Sicut in cælo sunt 72. Dodecatemoria Signorum, sic & in Ecclesia 72. præcipui discipuli Apostolorum. Sicut in cælo sunt septem Planetæ, qui septem ramis in candelabro Moysi respōdent: Sic in primitiua Ecclesia fuerunt septem diaconi Apostolis ministrantes. Denique sicut in cælo est innumera multitudo stellarum primæ, secundæ, tertiæ, & quartæ magnitudinis: ita quoque in Ecclesia varij & innumerabiles reperiūtur hominum gradus & ordines, alij alijs clariore. Proinde quadrat vtraque expositio. Nihilominus tamen si Origenis, Eusebij, & aliorum qui Apostolorum peregrinationes, & quam quisque sortitus est mundi prouinciam in commentarios retulerunt, autoritate innitatur, neminem eorum inuenimus qui vltra lineam Eclipticam siue Equatorem penetrauerit. Si enim recitant ex maiorum traditione, Thomam sortitum fuisse Parthos: legimus autem cū in Marco Paulo Veneto, tum in Osorio Algarbiorum Episcopo, D. Thomam in India Orientali vltra Indum fluuium, & Tropicum æstiuum vsque ad regnum, quod hodie Cranganor appellant, peruenisse, cuiusque corpus sepultum esse in vrbe Malipur, quæ ad regnum Narfingæ pertinet, multis miraculis celebratum. Incolæ regionis illius dicunt Apostolum illum magnum prophetam fuisse, eūque vocant Auarijam vernacula Indorum lingua, hoc est Sanctum virum. Mathæus ex Telonio ad Apostolatū vocatus Æthiopiā sortitus est, vbi hodie dominatur magnus ille princeps Christianus, quem Prestolanum appellamus, Regiæ Candaces, cuius in Actis Apostolorum fit mentio, successor Bartholomæus ad citiorem Indiam profectus est euangelizandi causa, vbi est hodie regnum Calicut. Andreas ad Scythiam, vbi sunt hodie Tartari, Iudæorum, qui conclusi erant in Arsareth, reliquit, vt cum Ezra narrat Haitonus Armenas. Ioannes Asiam sorte obtinuit, quam occupat hodie Ortamanorū familia. Vnde apud Ephesum & comoratus est, & defunctus. Petrus Pontum, Galatiam, Bithyniam, Cappadociam, cæterasque confines prouincias, Iudæis duntaxat prædicans, circumiuisse deprehenditur.

& ad vltimum in vrbe Roma commoratus, vbi & crucifixus est deorsum capite demerso, quod ipse ita fieri deprecatus est, ne exæquari Domino videretur. De Paulo autem quid dicam, qui ab Ierusalem vsque ad Illyricum (Sclauoniam hodie vocant) repleuit Euangelium Christi, & ad vltimum sub Nerone martyrium duxit? Hæc ita per ordinem in tertio Explanationum Genesis Origenes exponit. Addit Eusebius Marcum Euangelistam prima Alexandrinæ Ecclesiæ fundamenta iecisse. Pantænum deinde eiusdem scholæ ludimagistrum, & Clementis Alexandrini, præceptorem, tanto studio flagrans prædicandi verbum Dei, vt etiam ad exterarum quasque gentes, quæ in Orientis vltimis secessibus reconduntur, fidei & deuotionis calore profectus sit: & vsque ad Indiam citiorem verbum Dei prædicando perueniret. Erant enim adhuc in illis temporibus (regnate nimirum in imperatore Commodo) Euangelistæ nonnulli, qui ad imitationem sanctorum Apostolorum in diuersis orbis partibus oberrantes per gratiam Dei, & animi sui virtutem, verbum Dei, & fidem Christi ignorantibus quibusque gentibus inferebant. In quibus præcipuus & illustris Pantænus habebatur. Quem ferunt, cum ad Indos peruenisset, reperisse quoddam Bartholomæum Apostolum apud eos fidei semina prima condiderit, & Mathæi Euangelium Hebraicis scriptum literis dereliquerit, quod per idem tempus supradictus Pantænus inibi repertum detulerit. Hæc Eusebius, Quod ad cæteros septem Apostolos attinet (Paulus enim ascititius est præter mysticam dodecadem) legimus Philippum Apostolum sortitum fuisse Syriam prouinciam, in qua per viginti annos Euangelium dicitur prædicasse, vt & versibus cecinit Franciscus Picus hoc modo:

*Hinc agros Syria tum forte Philippus amænos
Ingressus, fractus Martem pepulisse sacellis
Dicitur: & diro contracta peste draconis
Agros afflatur euocasse ad munia vitæ.*

Mathiam Iudæis Christum prædicasse, author est Hieronymus. Iacobus quoque Apostolus Ioannis frater, in eos pro Christo verba fecerat, ab Herode capite truncatus, vt in Actis Apostolorum legimus. Addunt & qui vitas Sanctorum scripserunt, Philetum & Hermogenem antea magicis artibus infames ab eo ad fidem Christianam conuersos & baptizatos fuisse, Quod & Picus decantauit.

*Solymosque Iacobus
Tundit, & exerto fidei mucrone Philetum
Hermogenemque Magos sacra demersat in vnda:
illum mox vasto bellæ Hispania tractu
Suspicit, & nigriam longè à sinibus Orbis
Inuisunt myste. tumidum nam mira per æquor
Cymba tulit supero quam princeps rexit Olympo,
Et mox Callaica celebrem sacrauit in vrna.*

Iacobus Minor, quem vulgò fratrem Domini vocant, primus Ierosolymorum Episcopus fuit: postea dum liberè Christum palam profiteretur, de pinna templi deiectus, ac fullonis veete percussus, vitam miseram & ærumnis plenam cum meliore & æterna commutauit, Scripserunt nonnulli Thadæum Lebbæum (qui Corculum exponitur ab Hieronymo) ad inferiores Ponti regiones peruenisse, ad Colchidem videlicet, Armeniam, Iberiam, Albaniam cæterasque adiacentes prouincias. Eusebius quidem author est Tatthæum quendam vnum ex 72. discipulis vltra Euphratem ad Abagarum Edessenæ ciuitatis Toparcham profectum fuisse (qui quidem lingua Syra prius Epistolam ad Christum etiam tunc in terris agentem scripserat) eumque curasse eo quo laborabat morbo. Nec illum tantum, sed & Abdon quendam Abdæ filium podagra laborantem, cum se vestigijs eius aduolueret, manus impositione curasse. Multosque alios vrbis illius ciues varijs obfessos incòmodis pristinae sanitati restituisse. Quas partes adierit Simon Zelotes nihil certi habeo: Iacobo quidem Iusto Simeonem Cleophæ filium secundum carnem Christi con-

Sobrinum (fuit enim Cleophas frater Iosephi Spōsi Mariæ) in Episcopatum Hierosolymitanum successisse tradit idem Eusebius, quem puto eundem fuisse cum Simone Kananite, qui Syriacè scribitur שמעון קננוי Scemeon Knonoio, id est Simeon Zelotes: Græcè verò Σίμων ὁ Κανανίτης. Barnabæ quidem profectioes cum Paulo in Actis leguntur, & seorsum cum Marco Anthiochiam eum adijisse, & exinde Ierosolymas redijisse narrat Eusebius. Hæc sunt quæ de duodecim Apostolorum peregrinationibus scriptum comperimus: nulla tamen historia, saltem quam legerim, narrat Euangelij prædicationem ad alterius Hemispherij incolas peruenisse, qui sunt nobis vel Antæci, vel Pericæci, vel Antipodes, id est, qui aduersa nobis vrgent vestigia, ac tantum abest vt ad illos Euangelij rumor penetrarit, vt ne ad multas quidem prouincias & nationes circulo Arctico subiectas ad Septentriones penetrauerit: vt sunt Fimmarchia, Biarmia, Scythia, Gothlandia, Lapponia, Groenlandia, quæ terra glacialis dicitur, Corelia, Permia, Iugoria, Baccalearum regio, aliæque nationes antiquis incognitæ. Nec ad terram illam Aquilonarem, quæ ab Inuictore Cortereal nomen sortita est, nec ad eam quam Numus Gusmanus primus aperuit, quàmque armis deuictam & subiugatam, Maiorem appellant Hispaniam, nec denique ad multas alias in eadem zona Arctica sitas, quas nimis longum esset singulatim enumerare. Quamuis autem nobis obijci possit 72. Apostolorum discipulos, aliòsque homines Apostolicos in ceteras Orbis terræ partes Euangelij promulgandi causa forsitan dispersos fuisse, vt in Callisto Nicephoro legimus de Theophilo quodam, qui Arabias, Ægyptum Æthiopiam, Indiam, aliàsque orbis regiones quamplurimas Euangelij gratia adijt, & perlastrauit, & inde colligi versum illum Davidis, quem suprà citauimus, re ipsa adimpletum fuisse: nihilominus tamen non temerè mihi persuadeo, neminem mortalium bonis & receptis authoribus mihi posse comprobare, prædicationis Euangelicæ sonum vsque ad vltimos fines terræ vnquam auditum fuisse.

At forsitan dicent mihi lectores, quorsum hæc omnia? nempe eò tendit longi huius instituti scopus, Rex Christianissime, vt alterius oraculi, non quidem è tripodè Apollinis, sed ab ipsomet Dei verbo pronuntiati veritatem patefaciam. Nempe, Ego sum pastor bonus. Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & fiet vnus pastor & vnum ouile. Quod quidem ad Antichthonas & Antipodas referendum esse cenfeo: licet in primo aduentu, de omnium Gentium vocatione præter Iudæos rectè potuerit intelligi: In secundo autem, qui nunc INTRA NOS fit, ad oues alias in altero Hemispherio dispersas & oberrantes, quæ classicum Euangelij nondum audierant, iure merito debet extendi. Quis enim tanta dicendi facultate præditus persuadere potest, vt populi feri ac barbari, qui non ita pridem nobis innotuerunt, Euangelij sonum auribus vnquam exceperint, cum ea terræ pars, quæ incolunt, toti Antiquitati incognita & incognita fuerit, eiusque nulla fiat mentio nec in sacris, nec in prophanis authoribus? Nisi sint fortasse aliqui qui de ipsis exponendum esse contendant id quod 3. Regum cap. 9. memoriæ proditum legimus: Classem quoque fecit Rex Salomon in Asiongaber, quæ est iuxta Ahilam in litore maris rubri, in terra Idumææ. Misitque Chiram in classe illa seruos suos viros nauticos & gnaros maris cum seruis Salomonis, qui cum venissent in Ophir, sumptum inde aurum quadringentorum viginti talentorum detulerunt ad regem Salomonem. Idem etiam repetitur iisdem ferè verbis 2. Paralipomenon 8. cap. Ceterùm nonnulli Theologi, & Geographi non ignobiles, nomine Ophir eam intellexerunt prouinciam, quæ nuncupatur hodie Malacha, antiquis autem Chersonesus, quæ tamen sita est cis Æquatorem, ab ea, quadam maris intercapedine distans, quam Plinius & vetustiores Taprobanam nuncuparunt, & quam hodie nostrates Samatram, incolæ Patzin appellant: cuius altera pars extra circulum Æquinoctialem protenditur, hodièque parent Lusitanorum regi. B. Arias Montanus Hispanensis, vir sanè doctus, & linguarum cognitione per-

celebris, qui nos in editione magnorum Bibliorum ΠΕΝΤΑΓΩΝΤΩΝ Antverpiæ iuuit, coniectura quadam non inuenusta certè literis inuersis per אופיר Ophir suspicatus est intelligendam esse latissimam illam prouinciam, quam Hispani citra Æquatorem inuenerunt, quàmque nouam Castiliam nuncuparunt, auro & argento omnium terrarum longè ditissimam. Si quis enim literas אופיר Ophir inuertat sic פירא Perou, idem nomen reperiet, quo etiam nunc ab incolis appellatur. Alij linguæ Hebraicæ doctores, quia inter septem nomina, quibus ab Hebræis aurum appellatur פרוים Paruaïm numeratur, diuinarunt regionem illam antiquis innotuisse. Paruaïm enim cum sit dualis numeri duas Peruanas Indias significare sibi persuadent. In eo tamen, mea quidem sententia, quodam lepore ingenij luserunt potius, quàm quòd crediderint rem ita se habere: debilis enim est admodum coniectura, nulloque veritatis fundamento suffulta. Illis tamen per me liceat suis fui inuentis. De prophanis verò authoribus Aristoteles in Problematis in tractatu de Mirabilibus mundi auscultationibus scriptum reliquit, Carthaginenses decreto Senatus Atlanticas nauigationes tum intermittere coactos, cum eorum permulti in Atlantici maris terras illas, bellorum Romanorum tædio migrarent. Et Plato in Critia & Timæo, ubi de Atlantica antiquitate differit, indicat in Atlantico Oceano, præter cæteras multas quidem terras, vnam etiam insulam Atlantidem olim fuisse, quæ Aphricam & Asiam magnitudine superaret, sed teræ motu quodam aquis obrutam & sepultam fuisse. Ac Seneca Cordubensis poëta in Medea Tragædia, quasi enthousiasmo quodam correptus, & vaticinans nouum orbem videtur diuinasse, dum canit futuros & alios Tiphes qui nouos detegant orbes, Nec erit terris vltima Tyle. Præterea refert 2. Marineus Siculus in veteribus Hispaniolæ fodinis numum aureum repertum, in quo & Augusti Cæsaris effigies sculpta erat, & inscriptio: quem numum Episcopus Consentianus Pontifici Max. miserit. Quinetiam de Sileno fabulam refert Alianus, qui narrabat Midæ præter tres insulas, Europam, Aphricam, & Asiam, aliam quoque terram esse, quæ in immensum protenderetur, quæque hominibus bis nos proceritate staturæ superantibus, ac ætate duplici viuacioribus, incoleretur, varijque generis animantibus mole ingenti præditis exornaretur: Quorum vrbes cum numero tum elegantia nostris erant longè superiores, inter eas tamen erant duæ præcipuæ & illustriores, sed inter se omninò contrariæ. Nam altera, quæ à pietate & religione Eusebia vocaretur, populo comi & ad ciuilitatem nato, pacilique vnicè studioso habitabatur, cui aded fauebat Natura, vt terra suapte sponte omnis generis fructus amœnissimos è visceribus suis, tanquam è promptuario quodam vberissimo, abundè profunderet: quorum esu & nutritione, necnon amœna salubrique aëris temperie in multos annos vitam prorogabant, quousque tandem absque dolore ridentes & hilares expirarent: cæteroque tam sanctis moribus erant præditi, tam pij, tamque iusti, vt Dij sæpissimè eos inuiserent, suæque familiaritate cohonestarent. Altera vero, quæ diceretur Machimon, ad duas hominum myriades contineret, bellis ac litibus assuetas cum armis nascentes, quæ capitales inimicitias bellumque perpetuum cum vicinis gerunt: ex quo si qui euaserint, quod rarò fit, in virili adhuc ætate morbo pereunt. Narrat præterea eos aliquando ausos fuisse in Continentem, quam incolimus, terram irumpere, & vsque ad Hyperboreos nauigasse cum auditione accepissent illum terræ tractum omnium regionum nostrarum esse longè beatissimum sed cum eos cognouissent, inde discesserunt, quippe qui vitam eorum incultam & ignobilem despicerentur. Addunt pro miraculo, hiatum quendam in ipsorum terra reperiri, qui dicitur Anoste, neque luce conspicuum, neque tenebris offusum, sed aëre quodam suruo & rubicundo coloratum. Iuxta quem duo manant fluij, vnus quidem qui Tristitia alicui nuncupatur, alter verò, Voluptatis: quorum aquæ haustus varios ac inter se planè contrarios producit effectus. Sed de eiusmodi fabula plus satis, Nec me clam est alios etià adducere Homeri quod-

dam testimonium, scriptorum omnium, qui extant apud Græcos, vetustissimi: qui quidem geminos constituit Æthiopus, vnos Aphricanos, alteros Atlanticos, id est, vt ipsi interpretantur, Americanos. Dicit enim:

Αἰθίοπας μὴ ἀπὸ τῆς ἀφρικής, ἀλλὰ ἀπὸ τῆς ἀμερικής. Hæc sunt, credo, omnia ferrè testimonia, quæ de venerandæ antiquitatis scrinijs erui possunt. Nam quod Pomponius Mela narrat Hannonem Carthaginensem cum nouas terras exploratum missus fuisset, à Gadibus in plagam Australem, & ad Orientem circumuectum, multa Aphricæ litora legisse, ad eum terræ tractum referri debet, quem Lusitani primi omnium centum abhinc annis lustrarunt ac detexerunt. Verumenimverò apud nullum probatæ lectionis authorem, vt dixi, legere est, quod vsquam vir Apostolus Apostolicusue illas vnquã regiones tam immenso Oceani alueo à nobis procul distitas & semotas adierit, tantum abest vt lux Euangelica, illic vnquam antea refulserit. Cæterum paucis abhinc annis, diuino ita disponente numine, Patres illi, vitæque reformatæ Sacerdotes, qui de nomine I E S V, Ignatio Loiola Cantabro duce, Societatem instituerunt, ad hoc tam præclarum munus obeundum, iuuantibus etiam ijs qui Dominicanæ & Franciscanæ instituti deuoti sunt, veluti noui quidam Apostoli, & operarij in messe Domini, tam feliciter ibi vineam illam transplantarunt, de qua recinit psalmographus נָפַץ מַטְעָרִים תְּסִיעַ תְּנַרְשָׁנִים וְתַטְעָה Vineam de Ægypto nigrare fecisti, expulisti gentes, & plantasti eam, vt illic, tanquam in fundo nouo, longè salubres & meliores edat fructus, quàm hic hodie apud nos, in parua vinea, quæ nobis remansit. Etenim F. Martinus de Valentia in Epistola quam ad Reuerendum patrem F. Mathiam Vuenissè Franciscanæ ordinis Generalem Cismontanum misit ex Thalmanaco prope magnam ciuitatem Temixtitam, testatur iam ab anno 1531. à fratribus sui Ordinis lusquàm decies centena millia Indorum ad fidem Christianam fuisse conuersa. Nec ita multo post alius eiusdem professionis alumnus, literis ad generalem Synodum (Capitulum appellant), quæ tunc temporis Tholosæ agebatur, datis: affirmat in eadem prouincia de Hukctan siue Mexicana, à fratribus illis, quibus ab Obseruantia nomen indidere, lusquàm ducenta quinquaginta millia hominum salutaribus aquis intincta & expiata iuisse. Quid dicam de Patribus Societatis nominis I E S V? annon Christo lucrati sunt omnes ferè incolas Indiæ citerioris, in qua reperiuntur tot amplissima regna, & famigerata Emporia, Calcentium videlicet, Goa, Cochim, Cambaia, Decam, Cranonor, Colon, Narsingua, Seylam, aliisque quamplurima intra fluuium Indum & sinum Gangeticum sita: adeò vt in sola vrbe Goa amplissimum collegium Ioannis tertij Lusitanæ regis beneficio egregiè locupletatum extruxerint. In quo yltra sexcentos diuersissimarum gentium pueros ad pietatem & literas diligenter informari procurent, nimirum Brachmanas, Persas, Arabes, Æthiopes, Caphres, Canarios, Guzarates, Decamios, Malauares, Bengalanos. Canaræos, Peguos, Patanes, Chingalas, Iauenses, Malaios, Manacabos, Macazaios, Maluccos, Sionios, Mauros, Sinas, aliisque innumeras gentes, quarum nomina litteris Græcis & Latinis hæctenus incognita fuerunt. Ex hac autem schola, quæ Theologia, bonarumque artium studijs floret in omnes Orientis prouincias, solum quicque suam mittuntur. Adeò vt Collegium totius in India Christianæ religionis, & Reipub. seminariū non immeritò dici possit. Habent ibi & alia gymnasia, Cochuenense scilicet, Bazainense, Salfettanum, Malacense, & Iappomorū, Bungense, Resilentias præterea (apud eos recepto vtor vocabulo) tredècim: nempe Cheranam, Thomæ Damanensem, Tannensem, Bandoranensem, Caulanam, Trauancori, Comnorinensem, Manatinensem, Sinensem, Æthiopicam, Ambrinensem, & Sanctæ Trinitatis. Quibus addantur Iapponensis, Meaçensis, Emurenensis, & aliæ quamplurimæ quæ hinc numero comprehendi possunt.

Hinc in totum Orientem, quàm longè latèque protenditur, prodeunt quotidie no-

ui Concionatores & Apostoli, qui feras hætenus gentes, & dæmonum artibus ludifica-
 tas in ouile Christi compellunt intrare: quæ quidem certatim semen verbi Dei in terra
 cordis humani auidè recipiunt, quod Pater cælestis irrigat pluuiæ voluntaria, quam hære-
 ditati suæ segregauit, & in dies magis ac magis ei dat incrementum. Ita vt mediocri quadã
 Geographiæ cognitione fretus ausim affirmare plures hodie in illis partibus Christianos
 reperiri quàm in vniuersa Europa. Porrò ibi vnã cum fide Catholica, lingua Iani Latinæue
 titulo crucis Seruatoris consecrata diffunditur ac disseminatur: vt vno & eodem conatu
 pietatis Christianæ semina, tum linguæ Romanæ rudimenta ibi iaciantur, Sic Deus
 Opt. Max. ceu sorte cum regibus Hispaniæ & Lusitaniæ alterius orbis hæreditatem dire-
 mit, illisque possessionem & vsum fructum nouæ terræ lubentur concessit, aurum videli-
 cet, gemmas, aromata, aliisque diuitias & thesauros penè infinitos, vt corda & animos
 tantum eiusmodi gentium sibi conciliaret, & à feritate barbarica ad vitam mansuetiorem
 traduceret. Nihilominus tamen adhuc messis multa, & operarij pauci. Itaque rogandus
 est pater familias, vt & alios messorum in messem suam iam iam maturescentem breui
 mittere dignetur, vt omnes omnium Gentium electos in gremium Ecclesiæ reducant.
 Olim quidem ab vnitatem ad multitudinem deuenimus: antequàm enim turris Babel ex-
 trueretur, vniuersa terra erat vnus labij, Sanctæ videlicet & Hebraicæ linguæ: ex cõfusione
 autem Babylonica ortæ sunt aliæ septuaginta duæ, iuxta numerum 72. Geniorum, qui
 totidem præcipuis nationibus mundi præsunt, vti Sapientes Hebræi testantur, & nos
 alibi fusius explicauimus. Nunc verò peropus est vt à multitudine ad vnitatem tandem ali-
 quando reuertamur. Pollicitus est enim Deus per Sophoniam prophetam se restitutum
 nobis labium electum, vt inuocent omnes in nomine Domini, & seruiant ei humero vno.
 Ad id Pater luminum, à quo omne bonum, & omne donum optimum proficiscitur,
 quique soluit linguas mutorum, cum ex hac valle lachrymarum ascendisset in cælum,
 iamque euolasset extra flammata mœnia mundi, in Sionem apud terrestrem Ierusalem
 ex illa beata & cælesti ciuitate pacis, donum linguarum misit in Apostolos, qui vnanimis
 erant expectantes promissum Patris, induique virtute ex alto: vt tot linguarum ministe-
 rio varios & multiplices orbis terrarum populos ad se perduceret. Iamque ex illo tempo-
 re pretiosi huius thesauri recepit vsuras, vt faceret prudens & frugi aliquis pater familias ex
 pecunia sua quam sœnoris causa daret numularijs. Nam D. Lucas Euangelista perhibet
 Ierosolymis tunc temporis ex Iudæis fuisse homines religiosos ex omni natione quæ sub
 cælo est, ortoque rumore confusam multitudinem conuenisse, quòd audiret vnusquisque
 propria lingua sua loquentes Apostolos, Parthi videlicet, Medi, & Elamitæ, & qui inco-
 lunt Mesopotamiam, Iudæamque, & Cappadociam, Pontum & Asiam, Phrygiam &
 Pamphyliam, Egyptum, & partes Libyæ, quæ est secundum Cyrenen, & aduenæ Ro-
 mani, Iudæique, & profelyti, Cretes & Arabes audiebant eos loquentes suis linguis ma-
 gnalia Dei. Verumenimverò quod tunc temporis in Iudæa, & sola contigit Palæstina, ho-
 die in vniuersum terræ globum, quantus quantus est diffundi debet ac dilatari: vt varia-
 rum beneficio linguarum, ceu instrumento quodam multitudinis ad vnitatem reducen-
 dæ, in ouile Christi Ecclesiæque Catholicæ gremium omnes orbis habitabilis nationes
 reuocentur. Vt & in toto adimpleatur sicut in parte tunc temporis tantummodò fuit, hoc
 Ioëlis vaticinium, Et erit vltimis temporibus, dicit Deus, effundam ex Spiritu meo in o-
 mnem carnem: & prophetabunt filij vestri, & filia vestra, & iuuenes vestri visiones vi-
 debunt, & seniores vestri somnia somniabunt. Et quidem super seruos meos, & super
 ancillas meas in diebus illis effundam de Spiritu meo, & prophetabunt. Et edam miracula
 in cælo sursum, & signa in terra deorsum, sanguinem & vaporem fumi. Sol conuertetur
 in tenebras & Luna in sanguinem, priusquam veniat dies ille Domini magnus & illustris.
 & futurum est, vt quicumque inuocauerit nomen Domini, seruetur. Hoc quidem, Rex
 Christianissime, multis in locis quotidie adimpleri videmus: effunditur enim Spiritus

Sanctus in seruos & ancillas Domini, vt non immeritò Regia Maiestas tua Ordinem Spiritus Sancti, ex quo in Regem inauguratus es, instituerit. Signa quoque & iam edita sunt, & quotidie eduntur cum in caelo sursum, tum in terra deorsum. Iam pluries pluribusque in locis Galliae tam Celticae quam Belgicae visi sunt globi ignei, & armati milites, equique velociter in caelum discurrentes, non secus atque olim bello Cymbrico accidisse referunt historiae, de quo eximius Poetatum cecinit: *Armorum sonitù toto Germania caelo Audiit. Conuersam fuisse Solis faciem in orbem rutilum ac ferè sanguineum omni splendore pristino destitutum anno 1567. se vidisse testatur Cornelius Gemma, vir in medicina & Mathematicis apprime eruditus, qui in Cosmocrinico suo multa huiusmodi prodigia collegit, & nos alibi memoriae mandauimus. Narrat praeterea in Misnia à pluribus in caelo conspectam imaginem Christi pro tribunali sedentis, & tanquam ad iudicium Iudicis aduenientis: plurimos extitisse terramotus, aquarum diluua, caeli chasmata prodigiosa, eclipses horrendas, aliaque infinita, quae singula recitare nunc non est huius instituti.*

Nec me fugit multos esse siue Politicos, siue Peripateticos, qui leuitate quadam ingenij haec à me scripta contendat, quasi terreculamenta pueris objiceret: cum à multis retrò seculis plurima huiusmodi cum in terra, tum in caelo visa sint prodigia naturaeque miracula. Sunt enim qui nullo putant mundum rectore moueri, atque idèd intrepidè quacunquè altaria tangunt. Sed attendant velim quid D. Petrus in secunda Canonica cap. 3. scripserit: *Illud primùm scientes, inquit, venturos extremis diebus irrisores, vt qui in suis ipsorum cupiditatibus incedant. Et dicant: Vbi est pollicitatio aduentus eius? nam ex quo Patres odormierunt, omnia ita permanet ab initio creationis. Illud enim spontè ipsos lateat, caelos iam olim existisse per Dei verbum, & terram ex aqua & in aqua consistentem. Quamobrem is qui tum erat mundus, aqua inundatus perijt. Qui verò nunc sunt caeli ac terra eodem Verbo repositi, seruantur igni in diem damnationis, & exitij impiorum hominum. Vnum autem hoc ne vos lateat, dilecti, Vnum diem apud Dominum perinde esse vt mille annos, & mille annos vt diem vnum. Sed ad rem redeo.*

Iam duodecim anni & amplius euoluti sunt, Rex Christianissime, ex quo praclare Bibliorum editioni, omnium quae post homines natos in lucem emisit sunt, praestantissimae, vnà cum fratre meo Nicolao Fabricio Antverpiae adfui. Ea quidem auspicijs Regis Catholici, praelo autem Christophori Plantini Turonensis typographorum nostri temporis facile principis, multorumque doctorum virorum labore & industria ad vmbilicum tandem deducta est. In qua praeter ceteros labores mihi cum alijs viris doctis communes, Nouum Iesu Christi Domini nostri Testamentum ex caractere Syro in literas Hebraicas transcripsi, ac Latinae interpretationis facibus collustravi: Bibliorum verò Apparatus Lexicon Syro-chaldaicum & Rabinicum adieci, vt lingua Syra incarnati Verbi ore diuino consecrata, Virgini Mariae Dei genitrici popularis, Apostolis omnibus vernacula, & in qua Christus ipse Euangelium suum promulgauit, quamlatissimè fieri posset in vniuersam Ecclesiam diffunderetur, vt & Christiani & Iudaei profelyti eius beneficio iuuarentur, illi quidem vt in officio retinerentur, magisque ac magis confirmarentur; hi autem ad veritatis cognitionem adducerentur, & à castris Moysi, tanquam à primipilo ad Imperatorem, in castra Christi se reciperent. Cum autem anno 1581. Regia Maiestas tua Bleijs primùm, deinde Parisijs in aulam suam istinc me euocasset, certior factus sum typographum Benenatum (quod equidem nomen illi maximè cōuenit, quippe qui ad id vnum natus, & à natura conformatus videatur, vt bonas literas, & in primis sacras sua sedulitate promoueat) secundam editionem secundum exscriptionem meam literis Hebraicis sed absque punctis, feliciter inchoasse. miro quidem gaudio sum perfusus, vtque ab incepto non desisteret eum vehementer sum adhortatus: Et quidem nisi alia negotia non minoris forsàn momenti me domum reuocasset, eum lubenter mea qualicunquè opera in totius operis editione subleuassem. Tandem verò, Superis eius diligentiae fauentibus, quod feliciter

auspicatus

auspicatus fuerat, felicius promouit, & ad felicissimum perduxit exitum; idque non absque multis & diuturnis vigilijs, indefessis laboribus, immensis sumptibus, atque adeo non citra iacturam rei suae familiaris, ita ut officinam suam libris omnis generis instructam & refertam non satis iusto pretio vendere coactus sit, ut diuinum opus solo diuino fretus auxilio diuine perficeret. Quo quidem nomine, cum à pijs & studiosis omnibus, tum à Regia Majestate tua potissimum gratiam inire promeritus est. Is autem cum precibus à me contendisset, ut huic operi, cui vltimam manum apposuerat, praefationem aliquam praefigerem uti in editione Plantiniana, quam potentissimo principi Philippo Hispaniarum Regi Catholico dedicaui; cogitanti mihi quem praecipue patronum & veluti genium quandam tutelarem aduersus maleuolos & sycophantas huic editioni tuenda & conseruanda inuocare deberem. statim occurrit R. M. tua, Rex Christianissime, cui Christianum opus, Christi que ipsius vitam, miracula, conciones, perpeffionem, mortem, resurrectionem, in caelos ascensionem, & Spiritus Sancti eiusdem & Patris in Apostolos missionem verè fideliterque narrans, potissimum vouere deberem atque consecrare. Quae verò rationes ad id me maximè impulerint, paucis accipe. Ad id in primis adductus sum, Rex Christianissime, cum ex officio meo, tum singulari & nunquam satis praedicanda, comitate & beneuolentia, qualiteras literatosque omnes cõplecti soles, quaque me, licet indignum & immerentem excipere dignatus es. Deinde ut hoc qualicumque munere praesentibus & posteris testatam facerem meam erga R. M. tuam animi propensionem: praeterea, ut studiosos linguarum, ac potissimum Syrae & Christianae, Christianissimi Principis auspicijs iuuarem. Ad extremum autem ut hac veluti panoplia strenuus Christi milites cum aduersus naemas Alcorani, tum maximè aduersus obstinatam & peruicacem Iudaeorum malitiam instruerem.

Primus omnium Christianorum Ferdinandus Imperator huius linguae Christianae apud nos fundamenta curauit iacienda, ut hoc pietatis opere pios & Christianos in tota Asia dispersos sibi deuinceret ac demereretur. Li enim adhuc arte typographica carent. Postea Philippus Hispaniarum Rex, Austriae familiae & virtutis haeres, Plantino typographo Antuerpiae agenti magnorum Bibliorum *πρωτότυπος* regio mandato editionem iniunxit. Quod cum auditione accepissem, illius tam praelati instituti promouendi causa una cum fratre meo eò me contuli; Nonique Testamenti Syriaci literis Hebraicis excriptionem, & eiusdem versionem Latinam pridem aucta à me absolutam denuò censui recognoscendam, eamque gratis & lubenter dedi editioni Regiae inferendam. Huius autem sacrosanctae linguae amplificandae gratia me fausto quodam sidere genuit Natura. Id enim de me citra iactantiam ausim profiteri, in ea addiscenda nullum habuisse praecceptorem, ne in literis quidem pingendis & dignoscendis, sed in ea me planè esse *αὐτοδίδακτον ἢ διδασκόμενον*, ut de se in lingua Graeca Budaeus praedicare non erubuit. Cum enim Hebraicae Regijs professoribus tuis Lutetiae Parisiorum ad aliquot menses operam impendissem, illicò me ad rudimenta linguae Syriacae contuli, ex quibus literas dignoscere ac pingere didici tantum: necdum enim extabat grammatica neque dictionarium vllum; postea Nouo Testamento Syro Viennae impressò exscribendo & vertendo antimum appuli. Quod quidem inceptum, etsi arduum ac viribus meis impar, diuina tamen adiuuante gratia, mihi tandem feliciter successit. In Arabicis etiam Dictionariolum conquisiui, & propria manu depinxi atque adumbraui, sicuti in Syro Chaldaico & Rabbinico fecerem. Illud autem in Museo meo adhuc delitescit editionem expectans, si quis sit qui Arabicos characteres in vltimam typographiae effingendos & efformandos curet. Hoc autem quicquid est, Regiae Majestati tuae do, dedicoque, quod ut aequi bonique consulas, te etià atque etià rogo. Ut autem R. M. tua planius intelligat quò noui huius instituti scopus potissimum tendat, scias velim, D. Pauli gentium Apostolũ, qui ad tertium vsque caelum se raptum aliquando scriptis professus est, hoc inter caetera propheticũ oraculũ memorie prodidisse. Cum intrauerit plenitudo gentiũ, tunc reliquie Israel saluæ fient. Satis superque supra differui

ni (quantum quidem breuitas epistolæ patiebatur) quomodo ex omni parte terrarum nunc temporis in ouile Christi palentes & dispersæ reducuntur oues, quæ quidem tales tantòque dignos pœnitentiæ fructus edunt, vt earum vita, mores, & pietas cum nostris comparati, nil nisi ruborem, & iræ Dei timorem nobis incutiunt, qui quò maiores progressus in omnium artium doctrinis fecimus, eò magis refrigimus, in diésque frigidiores euadimus in pierate, zelo, & charitate, qui legis Christianæ vnicus est finis & complementum. Earum autem conuersione Deus forsan vult nos ad zelotypiam prouocare, sicuti quondam maiorum nostrorum gentiliū pœnitentiæ, & ad fidem conuersione Iudæos prouocauit, vti antea monendo eis minitatus fuerat per prophetam dicentem: vos me ad iracundiam & zelotypiam prouocastis in eo qui non erat Deus, & ego vicissim Vos ad zelotypiam prouocabo in eo qui non est populus. Dilectus ille discipulus, qui super pectus Domini in cœna recubuit, in Reuelatione mirabili, quam Græci Apocalypsim vocant, testatur se vidisse fœminam quandam, cui datæ fuerunt duæ alæ aquilæ, quibus in eremum euolaret, ibique ad certum tempus delitesceret. Quod quidem oraculum video à multis doctoribus de Catholica Ecclesia expositum fuisse, deque prædicatione verbi Dei, quæ quidem nisi benignitas Dei occurrat, antiquos deseret possessores, vt secedat in eremum, id est in nouum orbem, & ad terras nouas, nouis Dei adoratoribus excultas & adornatas: super alas aquilæ, nempe super alas sublimium & aquilinarum mentium, quæ inconnuentibus oculis Solem Iustitiæ in sua exaltatione suspicere possunt atque contemplari: de quibus illud à Christo pronunciatum verè debet intelligi; vbi erit *מִיָּוֵשׁ*, vel Syre פְּנֵיָא. Cadaver, illic congregabuntur aquilæ, vbi cumque erit *הַשְּׂבִינָה* sue diuinæ Mæstatis præsentia in Synaxi videlicet corporis & sanguinis eius sacramento; ibi congregabuntur. 71. aquilæ, Angeliue diuino Tabernaculo assistentes, vt interpretati sunt Mosi auditores in libro Zoharis, omnesque Spiritus alta petentes, qui simbolo quodam & conformitate mentis deuinciuntur cum Euangelistarum Aquila, quam tali tantaque uisione dignatus est Deus Opt. Max.

Sed vt ad rem, vnde paululum digressus sum, redeam. Cùm videamus omnia signa veritatis ipsius ore diuino prænunciata in dies adimpletum iri, neque tantum Europam, vbi antea potissimum vigerat Christianæ religionis pietas puritasque, sed etiam Asiam & Africam varijs sectis, infinitisque erroribus discerpi ac dilacerari: quoniam intestina atque ciuilia bella, pestilentiaque & fames verbi Dei hodie grassantur ferè vbi que terrarum: quoniam monstra, prodigia, portenta, aliæque quamplurima iræ diuinæ indicia, cùm in elementis, tum in omnibus animantibus tam frequenter conspiciantur & appareant: quoniam iuxta veriore Chronologorum supputationem ad sextum millenarium annorum mundi peruenimus, ad cuius complementum quadringenti anni tantum, aut circiter, restant: quoniam protestatur Scriptura decurtatum iri dies propter electos. Quoniam magna superiorum planetarum coniunctio, quæ septima est à mundo condito, in hunc annum 1581. incidit, à qua, vt à sex præcedentibus, tot & tantæ rerum mutationes in mundo expectantur. Præterea, quoniam Spiritus Dei in tot seruos ancillæque suas quotidie effunditur: quoniam artes & disciplinæ omnes ad summum apicem, vltimamque periodum attigisse videntur: quoniam linguæ peregrinæ literarum monumentis consignatæ tanta cum facilitate vbi que gentium hodie doceantur & addiscantur: quis non sibi certò persuadeat nos esse eos in quos seculorum fines deuenerunt? Quis doctorum hodie animi quasi stupore non percellitur dum noui illius siue phænomeni, siue astri memoriam animo repetit, quod in regione cælesti, in siliquaastro Cassiopeæ (vt Higini verbis utar) Septentrionem versus anno 1572. apparuit, quòdque per quatuordecim integros menses fixum semper & immobile permanit? Annon quotquot sunt hodie celebriores Mathematici in Europa, Germani, Belgæ, Galli, Angli, Itali, & Hispani hac de re scripserunt omnes, vnò que ore cõfitemur à iactis mundi fundamentis nihil vnquam tale visum fuisse: In cuius quidem consideratione, leges Naturæ violatas esse agnouerunt, Aristotelisque doctrinam

ipſius Naturæ Genij hac in parte vanam & irritam fateri coacti ſunt in eo videlicet quòd in cælo nihil noui accidere poſſe falſò commentus eſt, quòd cælum ex quinta quadã eſſentia mutationi non obnoxia, aſſeruiſſet, vanumque de mundi æternitate fundamentum ſic ſtabilire conaretur. Quapropter, mea quidẽ ſententia, haud malè viſus eſt conijcere Cornelius Gemma Gemmę Friſij filius, doctriņęque paternę & virtutũ, vt & nominis heres. Quicquid ſit, inquit, nihil audeo aſſerere, ſed puto eſſe Lyncuchum, & veluti prodromum quẽdam ſecundi aduentus Saluatoris. Cuiſanẽ coniecturæ (nam qui benè coniectauerit, hũc vatem perhibebo bonum) aſtipulari videtur Sibyllarum quoddam oraculum, non illud quidem Latinum, quod in opere Coſmocratico inſeruit, & quod non ita pridem in gratiam Caroli Quinti Romanorum Imperatoris adulandi cauſa fictũ fuiſſe arbitror: ſed aliud longè verius & antiquiũ quod habetur in Sibyllinis oraculis Græcis ab Oporino excuſis, & quæ Sebaſt. Caſtallio verſibus Latinis expreſſit: Illud ita ſe habet.

Quæ ſic veru Caſtallio :

Καὶ πῆ δὴ μέγα σῖμα θεὸς μεταπίπτα πῆσι
Δαμῆδ' ἄν' ἐφ' αὐτῷ λαμπρῶν παρομοίος ἀστῆρ
Λαμπρὸς, παμφαίνων ἀπ' ὕψους ἀλλήλων, ἑ
Ἡματι ἐκ οὐρανῶν. πῆ γ' ἐφ' οὐρανῶν ἀστρονομίῃς
Δείξει ἀπ' ὕψους ὄν' ἐπ' ἀστρονομίῃς ἀστρονομίῃς.
Τὸ πῆ γ' ἐφ' οὐρανῶν ἀστρονομίῃς ἀστρονομίῃς.
Εἰς πῆ γ' ἐφ' οὐρανῶν ἀστρονομίῃς ἀστρονομίῃς.
Εἰς πῆ γ' ἐφ' οὐρανῶν ἀστρονομίῃς ἀστρονομίῃς.
Καὶ πῆ πῆ λαὸς ὄν' ἀστρονομίῃς ἀστρονομίῃς
Αἰθέρῃ νίκης παρὰ κάλλους. ἑ γ' ἀστρονομίῃς
Αἰθέρῃ πῆ οὐρανῶν ἀστρονομίῃς ἀστρονομίῃς.
Αἰθέρῃ πῆ οὐρανῶν ἀστρονομίῃς ἀστρονομίῃς.
Καὶ δὴ πῆ οὐρανῶν ἀστρονομίῃς ἀστρονομίῃς
Αἰθέρῃ πῆ οὐρανῶν ἀστρονομίῃς ἀστρονομίῃς.
Γὰρ θεοὶ πῆ οὐρανῶν ἀστρονομίῃς ἀστρονομίῃς
Δώσι τῶ δὴ πῆ οὐρανῶν ἀστρονομίῃς ἀστρονομίῃς
Αἰθέρῃ πῆ οὐρανῶν ἀστρονομίῃς ἀστρονομίῃς
Τοῖς οὐρανῶν ἀστρονομίῃς ἀστρονομίῃς.

Tunc autem ſignum dabitur diuiniũ ingens.
Nanque relucebit clariffima ſtella, coronæ
Aſtimilis claræ, cælo viſenda ſereno,
Lucibus haud paucis: humanis nempe coronam
De cælo oſtendet, qui præmia querere certans,
Nam tunc incipiet magnum procedere ſeculum
Vrbi cæleſti, diſpenſatorque vacabit
Omnibus humanis, æui immortalis honores
Qui teneat, cunctus tunc immortalia propter
Præmia contendet populus, victoria quando
Accendet præclara animos: nam ritè licebit
Cuiſlibet argenti claram petere inde coronam.
Caſtus enim Chriſtus ponet certamina iuſta,
Ornabitque probos, æternæque præmia reddet
Teſtibus, ad mortu certamen cunctibus uſque.
Virgineis verò, qui pulchrè currere pergunt,
Æternum munus dabit, & ſetuantibus æqui
Omnibus humanis, generique alienigenarum,
Et ſanctè viuendo Deum noſcentibus Vnum.

Nemini mirum videri debet, Rex Chriſtianiffime, quòd τὸ σημεῖον παρὰ τῆς τῆς ἀστρονομίῃς, Aſtrum illud nouum in medium attulerim, cum olim tres Magi ſiue Sapientes, qui ex Perſide in Bethlehem venerunt, vt I E S V M Chriſtum adorarent, nouæ cuiuſdam ſiue ſtellæ ſiue Cometæ ſigno eò perducti ſint, vt Scriptura teſtatur aperte: Vidimus ſtellam eius in Oriente, & venimus adorare eum. D. quoque Dionyſius, Galliarum primus Apoſtolus, cum in Heliopoli vnà cum Apollophane, mirabilem illam vtriuſque luminaris Eclipſim, quæ præciſè incidit in tempus perſſionis I E S V, diligenter cõſiderauiffet, in qua ordinem naturæ motuũque cæleſtiũ leges violari penitus cõſpiciebat, fateri coactus eſt ſola ſiderali cognitione, Aut Deũ naturæ pati, aut totam mundi machinã breui diſſolutum iri: & ipſemet Apollophanes in hæc verba prorupit: Hæ ſint rerum viciffitudines, optime Dionyſi. Nunc etiã fortasſe nõ immeritò ex clamare poſſem in noui illius Phoſphori cõtẽmplatatione:

Vltima Cumai venit iam carminis ætas:
Magnus ab integro ſæclorum naſcitur ordo:
Iam redit & Virgo, redeunt Saturnia regna:
Iam noua progenies cælo demittitur alto.

In primo quidem Filij Dei Aduentu, ſemen eius ex Oriente venerat ad nos; iuxta illud Prophetæ, Ab Oriente emittam ſemen tuum: nunc ſuper eſt, vt adimpleatur & id quod ſequitur: & ab Occidente congregabo te. De Sion quidem exiuit Lex, & Verbum Domini de Ierufalem, quod lingua Syra, linguę ſanctæ Hebraicæ maiori natu filia, priũs fuit prædi-



catū & promulgatū. Vtinam nunc R. M. tuæ iussu ipsa eadem lingua Christo I E S V vernacula vnā cum Hebraica, Chaldaica, Arabica, Æthiopica, Armenica, Græcāque & Latina in Orientem denuo proficiscatur, vt exinde omnes Christi oues inter lupos & tyrānos ubiq; dispersas colliget & congreget. Sic enim prius animorū victoria procuranda est, quā Infidelium corporibus bellum intentandum. Vtinam Ecclesiæ Labbarum, ac salutiferæ Crucis vexillum à Christianis principibus & in primis R. M. tuæ auspiciis aduersus spurij Ismaëlis colluiem tandem aliquando erigatur, vt & Sarah Ecclesiæ Catholicæ typus, votis suis potiatur, eiusque preces, quas sponso Abrahamo, Deum Patrem in mysterijs referenti, ex intimo corde fudit, optatum & expetitum consequantur effectum, nempe, Eijce ancillam & filium eius. Non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Isaac. Christus enim vnigenitus Dei filius, quem Isaac præfigurabat, paternæ hæreditatis, id est, omnium gentium solus hæres, eiecto spurij Muhamedis impuro dogmate, & esse & haberi debet. Et sicuti hætenus Ismaëlis manus aduersus omnes conuerſæ fuerunt, sic etiam oportet vt manus omnium sint aduersus eum. In hunc finem iam Catholica Maiestas Regis Hispaniarum magna Biblia *πνευμαλική*, vnā cum magnifico eorū apparatu tam emendatè, tam variis & pulchris typis imprimi curauit & excudi: restaret nunc, Rex Christianis, vt in altera editione iuberet addi eorundem Bibliorum Arabicam paraphrasim Sahadiæ Gaonis, Persicam Iac. Tauasij Pauoniusæ, integram in vetus testamentum Syriacam, Armenicam, & Æthiopicā. In iis enim omnibus linguis, præter eas quæ sunt iam typis adubræ, cum veteris tum Noui Testamenti versiones integræ reperiuntur. Earum autem omnium & in primis Arabicæ vsus longè latèque patet. Ea enim sola in totam penè Aphricam diffunditur, dempta Nubianorum regione, quæ mādatis Magni Negus Imperatoris patet, apud quos Æthiopicum idioma ex dialecto Syrica & Arabica conflatum inter doctos & sacerdotes in vsu est. Quinetiam Arabica vitur tota ferè Asia à maris nostri litoribus per Antipodas vsque ad plagam illam, quæ est in parte Occidentali nostri Hemisphærij. Narrat enim Geographiæ, & peregrinarum linguarum peritissimi authores, quod primi hominum, quos sua nauigatione orbem totum ab Occidente per Antipodas in Ortum lustrando, Magellanus ultra Americam reperit in maioribus Moluccarum insulis, Alcorani nugæ obseruabant. Ad Talschaltical & Curistical ac Temixitā, quamuis præcipua pars Idololatræ sint, hæc pestis peruenit. Iam in Europa quamplurimas provincias suo infecit veneno. Occupat enim totam Græciam, Macedoniam, Thraciam, Daciam, Zagygæ, seu Hungariæ partem, Serniam, & Bosniam, quæ est pars Pannoniæ superioris, vt nulla sit hodie lingua, nec vsquam olim fuerit, quæ in tot Orbis partibus locum habuerit. In hunc scopum, vt mihi persuadeo, Gregorius decimus tertius Pontifex Maximus, Arabicæ, Syriacæ, & Armenicæ pulcherrimos characteres exarari & exculpi Romæ curauit, quorum specimen anno proximè præterito mihi Parisiis ostensum est vnā cum Regijs M. T. linguæ sanctæ professoribus. Interea R. M. tuam iterum atque iterū rogatam velim, vt secūdè huius Editionis Noui Testamenti lingua quidè Syriaca, sed literis Hebraicis Exēplar, Regio, id est, grato excipias animo. Cui quidem ob id puncta non sunt addita, vt linguæ Hebraicæ, & vtriusque Chaldaicæ candidatis maiori esset vsui, ac potissimum Iudæis, vt veritatis Euangelicæ lectione post omnes omnium gentium oues in Ouile Christi se conferant: vt quemadmodum nostra tempestate ingentem sui Thalmudi farraginem typis deauò excusam in lucem emiserunt: sic literis suis, & lingua maioribus suis quondam populari, veri Mellis I E S V Euangelium legant & intelligant: Cuius INTRA SE ADVENTVM superis fauentibus poterunt expetiri, dummodò nobiscum ex animo precentur & orent: Conscientias nostras, quæ sumus, Domine, visitando purifica, vt veniens INTRA NOS Dominus noster Iesus-Christus vnā cum omnibus sanctis suis paratam in nobis inueniat sibi mansionem. Amen. Falesiæ, in arce M. T. die 29 Maij, in profesto Corporis Christi 1533. Deus Opt. Max. Regiam Majestatem tuam diu seruet incolumem.